



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



P R Æ F A T I O .



TS *I*ea, quæ ad Officium divinum ritè recitandum requiruntur, sufficienter in Rubricis Breviarij explicata videantur, quia tamen hæ plerumque ijs, qui nullam adhuc hujus materiæ cognitionem nacti sunt, obscuræ nimis, & difficiles apparent, & præterea non habentur semper Instructores, qui solidâ & Ordinâtâ Methodo Tirones instruere possint, aut velint, operæ pretium futurum visum est, si quidquid in iisdem Rubricis dispersim & obscuriùs proponitur, clariore & ordinâtâ Methodo in hoc Compendio proponeretur. Ex quo quidem Candidati Sacerdotij, in quorum usum & commodum hæc Instructio potissimùm est facta, duas non levis momenti utilitates reportabunt. Prima est, ut faciliè cognoscant, quo ordine singulæ Officij divini partes se mutuò subsequantur, nam eodem omnino Ordine, quo hîc tituli positi sunt, illas recitare oportet.

Secunda, ut, si fortè dubium aliquod circa unius, alteriùsve partis recitationem occurrat, ex ijs, quæ cuiusvis titulo subjunguntur, facili negotio id resolvere possint. Unde fiet, ut praxin Officij divini recitandi, quæ non paucis hucusque satis difficilis est visa, brevi tempore & absque magno labore addiscere queant, ut multi, qui hæctenus hac Instruktionem sunt usi, propriâ experienciâ comprobârunt. Dividetur autem hæc

P R Æ F A T I O .

hæc Instructio claritatis gratiâ in quinque partes , in quarum prima Fundamenta ad materiam istam necessaria præmittentur . In secunda praxis Officij divini per accurratam singularum partium explicationem ostendetur . In tertia Cæremonia tam in publica , quàm privata Horarum Canonicarum recitatione observanda referentur . In quarta , quid in specialibus quibusdam Festis observandum sit , succinctè indicabitur . In quinta denique ipsæ Rubricæ Generales Breviarij brevibus notis illustratæ proponentur , ubi etiam Martyrologij Romani nomina suis Accentibus juxta communio-riorem usum signata referentur .

Quia verò post primas tres Instructio-ri-ones partim ipse adverti ; partim ex alijs intellexi , non pauca esse , quæ vel omnino omi-ssa , vel certè paulò obscurius proposita majorem elucidationem requirant , ideo hæc ipsa in hac quarta editione sic emendare conatus sum , ut non modo ipsa materia paulò amplior , sed etiam Ordo ad faciliorem discipulorum usum accommodatior sit futurus , dignusque adeò libellus sit visus , qui à priore libello primam Instructio-ri-orem de SS. Missæ Sacrificio ritè offerendo , continente sejunctus , specialis Instructio-ri-oris , Ordine secundæ , nomine in lucem prodiret . Fruere ergo , amice Lector , labore meo , & , si quem fortè in lubrica materia lapsum sagacitate tua deprehenderis , per benevolam tuam Humanitatem excusa .

* * *

P A R S